

4.

THESES,

QUAS,

STIPENDIARIOS AD ACADEMIAM
IMPERIALEM ABOËNSEM
EXERCENDI GRATIA,

VENIA CONSULTISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,

PUBLICICE PROPONIT

Mag. WILHELMUS GABRIEL LAGUS,
J. U. Doctor, Juris Communis Professor P. & O.,
Stipendiariorum h. a. Inspector,

RESPONDENTE

JOHANNE EPHR. AHLSTEDT,
Stipend. Publico. Satacundensi.

In Auditorio Juridico die VI Novembris MDCCCXXIV,
hora a. m. IX.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



Thesis I.

Quamquam duo primaria esse jurisprudentiæ excolendæ præsidia, quorum alterum in *Historia*, alterum in *Philosophia* positum est, res adeo sit clara, ut in dubitationem adduci nequeat; ab altera tamen parte concedere oportet, perverso & intempestivo horum præsidiorum usu sæpenumero factum esse, ut jurium disciplinæ non tam restituerentur & ordinarentur, quam potius obruerentur & perturbarentur.

Thes. II.

Non defuere scilicet Interpretes, qui ad doctrinam aliquam juris explicandam aggressi, auream in historicis disquisitionibus mediocritatem tenere indocti, antiquitates expiscari & fabulas narrare cœperunt; alii contra, laxas nimis dantes positivis legibus habenas, Themidem, distorto quasi collo, ad infidum sæpe rationis tribunal rapuerunt. Illorum operosa studia, utpote quæ circa ternas Posthumi capellas plerumque versentur, non nisi svaviter ridenda nobis esse videantur; hi vero in eo justiores incurrisse reprehensiones sunt censendi, quod haud raro leges nimis callida interpretatione eludant, & repagula societatis civilis convellant, nihilque aliud intempestivis suis ratiocinationibus consequantur, quam ut, teste CORNELIO VAN ECK, *sine lege loqui, & cum ratione insanire videantur.*

Thes. III.

Quamquam nos haud quaquam ii sumus, qui diligentæ, doctrinæ & sobriæ sapientiæ laudes LOCCENIO, KLOTIO, NEHRMANNO ceterisque juriis nostri criminalis Doctõribus

bus adimere velimus; dubitamus tamen annon, cum crimina in certa genera & clasfes digererent, ad internam compagem & œconomiam Legum nostrarum minus curate attenderint; unde factum, ut sua potius, quam ipsius Legislatoris de natura delictorum philosophemata nonnumquam tradidisse videantur.

Thef. IV.

*Bigamiam ad delicta carnis referendam esse statuunt laudati Viri; ast vero & rei naturæ, & principiis juris nostri accommodatius, pro specie *stellionatus* habendam esse contendere audemus.*

Thef. V.

Criminibus publicis *de vi cum Stuprum violentum*, nobis iudicibus, sit annumerandum; errare nobis videntur nostratum, qui, Jus in artis formam redigere studentes, exoticorum Systematicorum ductu, hoc maleficium *criminibus carnis* immiscent.

Thef. VI.

Monstrosam Venerem neutiquam ad delicta carnis pertinere, facile sibi persuadebit, qui mentem Legislatoris inquisitius exploraverit.

Thef. VII.

Priscos Romanos *rapinam* ambitu *furti* fere adstrinxisse, ad fidem est pronum; quid! quod nondum JUSTINIANI tempore certi fines terminique hæc inter delicta erant constituti. Quamobrem nec mirari convenit, existitisse Interpretes, qui nullum *rapinam* inter & *furtum violentum* discrimen, ex legibus Romanis, admittendum esse contenderent. Ad majores vero nostros quod attinet, eos proflus aliter de hac re sensisse, Historia luculenter demonstrat; Peccant itaque Doctores nostri, qui, vestigiis Interpretum juris Romani inhærentes, *robbariam* una cum furto, delictis, quibus *privatorum* in bona sua jura lædantur, inserunt.

Thef.

Thef. VIII.

Simili modo vim legibus nostris inferunt qui *incendium dolosum* criminibus in *privatorum* bona admisissis accensent, cum, de sententia Legislatoris, ad *crimina publica* referri debeat.

Thef. IX.

Crimen repetundarum, peculatus & barataria, ex jure nostro, *privatis*, non vero, ut plurimis Doctoribus placuit, *publicis delictis* immisceri debere, arbitramur.

Thef. X.

Blasphemiam ad injuriarum, in assecclas positivæ ejusdam religionis evomitaram, genus pertinere urgent, ut ceteros Germaniæ Jureconsultos taceam, GROLMANN & FEUERBACH, neque desunt inter nostrates, qui eorum sententiæ accedant. *Postquam* autem, ut sapienter monuit AUGUSTINUS, *leges latae sunt, non de ipsis, sed secundum eas, judicandum est*: idcirco nos ejusmodi interpretamentum improbandum esse putamus.

Thef. XI.

Qui *fellionatum* in delictis, quibus jura civium circa bona violantur, numerare amant, finibus nimis angustis hujus criminis notionem circumscribere videntur.
